



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Incarnatio Mystica Sive Christiformitas

Roger, Nicolaus

[Erscheinungsort nicht ermittelt], Anno MDCLXXXIV.

Cap. III. Praxes & industriae ad affectus erga Christum in festis ejus, in
Cruce & Eucharistia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37940

CAPUT III.

*Præxes & Industria ad affectus erga
Christum in festis ejus, in cruce
& Eucharistia.*

§. I.

MYSTERIA præcipua vitæ Christi festo ritu celebrat Ecclesia, quæ spiritu ejusdem animatus celebrare debet Christiformis. Ea verò sunt Christi nati, circumcisi, adorati à Magis, inde præsentati, jejunantis, triumphantis in Hierusalem, Eucharistiam instituentis, passi, resurgentis, ascendentis, in Augustissimo Sacramento manentis. Tu sequere Matrem Ecclesiam, sponsam Christi, ejusque affectus indue. Vide quanto apparatu per adventum prævertat nascentem : per quadragesimale jejunium patientem ac resurgentem : per supplicationes ac rogationes ascendentem : per octiduum magnifico cultu celeberrimum in Eucharistia residentem. *Quanto magis affectus gau-*

S 4

dij,

dij, tristitiæ, & alios mysterijs ipsis, quæ recolit accommodet, ut regisset per sacrum octiduum reliquias cogitationis quæ festum egerunt. Tu itaque eodem actus spiritu Dei saltem triduum apparatus ad festum dato, sollicitudine singulari obeundo omnia spiritualia exercitia, curando tum maximè cordis munditiem, visitationes & colloquia minus necessaria ommittendo, quò cœlesti visitationi animum adornes, frequentando aspirationes super mysterio festi, varijsque virtutum actibus velut tapetibus sternendo pectus, & jam inde, quid potissimum petat, cogitatione designando, ad confessionis item & communionis Sacramenta te accingendo, mortificationis denique aliquid exterioris præmittendo.

Ipso autem festo die meditatio circa mysterium ipsum, totaque diurna occupatio mentis versetur. Juvat consecrare cubiculum ipsum mysterio
ce-

celebrato, quasi inter ipsos domesticos parietes perageretur, & à Christo peragente illud benedictionem in egressu ingressuque petere. Denique affectus præcedenti capite recensitos cum pactis conventis ad eundem dirigere. Porro per octavas ne mysterij memoria excidat, sed suppar ipsi festo in mentis sacrario agitanda est celebritas.

Atque hæc universè dicta singulis festis congruunt: possunt & singulis aptari praxes suæ; sed ne nimius in istis sim, quasi nihil solertiæ amoris relictum velim, mitto quæ erga Christum natum, circumcisum, &c. suggerri possunt innumera. Tantùm profero industrias Anonymi sanè devotissimi ad colendum JESUM crucifixum, cujus unius praxis instar sit ac idea omnium.

Praxis Anonymi erga Crucifixum.

I. **C**rucifixum in effigie singulis mensibus stato die adorabat humiliter nudipes, ac Sacramentum fidei renovans, omnia ei se debere velut mancipium profitebatur: tum petita copia osculandi pedes, eos pie mancipij animo exosculabatur.

II. Diebus Veneris ad orationem crucis, ut fit in Parasceve, ab domesticis suis omnibus ipse præiens exemplo, peragi curabat.

III. Tentatus confugiebat illicò ad Crucifixum, re quidem ipsâ, si domi erat: cogitatione verò, si foris.

IV. Egrediens è cubiculo, adorabat & osculabatur Crucifixum, commendatumque spiritum suum in aliqua ejus plaga recondebat, atque eò velut in nidulum se cogitatione recipiebat, si fortè in conversatione vana colloquia miscerentur.

V. Urgente tentationis vi, si fortè
li₂

liceret, in cubiculum corripiebat se, continuòque arrepto Crucifixo signabat illo se, & in passas ejus ulnas velut exterritus infans in matris gremium, aut milvo irruente pullus sub alas gallinæ se projiciebat, ibique absconditus, cruce velut cornu altaris prehensio, tutus provocabat in aciem hostes illo quasi classico: *Quis nos separabit à charitate Christi?* &c. interdum vibrans Crucifixum fugabat Dæmones hoc carmine sacro: *Ecce crucem Domini, fugite partes adverse*; aut ad ipsum Crucifixum conversus: *Per signum Crucis, ajebat, ab inimicis nostris libera nos Deus noster*; aut etiam seipsum animans dicebat: *In hoc signo vinces.* Denique virtutem Christi patientis oppositam tentationi revocans in mentem, extimulabat se ad imitandum, vel si defecisset, improperebat sibi his verbis: *eximium te scilicet Dei tui imitatore!*

VI. Lapsus in culpam sistebat se

S 6

reum

reum ad tribunal crucis, & à Christo iudice sententiam audiens, id sibi pœnæ infligebat, ad quod condemnatum se inspirationis internæ susurro sentiebat. Si quâ autem vanitate abripi se siverat, subiciebat caput pedibus Crucifixi, atque ita ingemiscens contra se pronuntiabat: *Super aspidem & basiliscum ambulabis Domine, & concubabis leonem & draconem.* Nonnunquam nudipes, solo tectus indusio, recte in collum injectâ, restituebat honorem Deo ablatum, confitens ac detestans peccatum, quo tantæ majestati creaturam anteposuerat; idque eò prolixius agebat, quò peccatum erat gravius.

VII. Interdum confessionem aut peccatum maximè exosum in charta descriptum abjiciebat ad pedes Crucifixi, dicens: *Tu fidejussor meus, Domine, responde pro me ac solve: nam solvendo non sum, perij miser, nisi chirographum hoc sanguine tuo deleveris.*

Qui-

Quidam imposta tumulo, vel reli-
quijs Sanctorum peccata sua invenere
dispuncta, quidni ego plus ex te,
quam ex omnibus Sanctis sperem?

VIII. Petens gratia quidpiam à
Deo submittebat caput Crucifixi pe-
dibus velut ad rorem sanguineum ex-
cipiendum: admovebat item mem-
bra Crucifixi membris suis, oculos
oculis, os ori, manusque manibus hau-
sturus inde ut ex fonte ipso sanita-
tem.

IX. Consulebat in dubiis Crucifi-
xum, ut à SS. Bonaventura & Thoma
factum perhibent, ita compellans: *Lo-
quere Domine, quia audit servus tuus.*
Quid hinc opus facto, quid dicto? De-
nique cavebat ne quidpiam aggrede-
retur inconsulto magni consilij An-
gelo.

X. Si quid composuerat, offerebat
Crucifixo emendandum, totum ipsius
esse contestans, tu dictasti, tua est do-
ctrina, tu emenda, si quid meum, hoc

est mendum, tota in te gloria redundabit.

XI. Si frigidum pectus sentiebat, amplexus Crucifixum sic affabatur: *Si mihi relictus essem, nunquam recalescerem; at quoniam tu Domine IESU emissus è caelo ignis es, ac frater noster, arctius te complector, certus etiam mortui gelidum corpus excitare in me posse amoris flammam: tum pectori suo validè apprimens agebat: Emolli Domine duritiem cordis rebellis, imprime anima mea imaginem tui. Pone te ut signaculum super cor meum, ut signaculum super brachium meum.*

XII. Cùm devotionis sensus arefceret, sub cruce demittebat se hæc fatus: *Anima mea, Domine, sicut terra sine aqua tibi, tu nubes cruento imbri gravis animam meam beneficijs largius perfunde.*

XIII. Ad conversandum excitus, Crucifixum ori, oculis, auribus applicabat dicens: *Pone Domine ori meo custo-*

sto-

stodiam: sepi aures meas spinis tuis. Rever-
sus ex conversatione, si quid sensua-
liquo deliquerat, hoc pœnitentiæ ir-
rogabat: Ori, ne Crucifixum oscula-
retur, oculis, ne eum aspicerent, lin-
guæ, ne quid ipsi, vel coram ipso lo-
queretur ad certum spatium: quod
quidem pœnitentiæ genus non vide-
batur ei leve.

XIV. Æger sedebat in oratorij
suppedaneo proximus Crucifixo, di-
cebatque cum Chananæa: *Etiam Do-*
mine, nam & catelli comedunt de micis,
quæ cadunt de mensa Dominorum suorum.
Cruce tibi mensa, in qua calicem bibisti,
quem dedit tibi Pater, & saturatus es op-
probrijs: modicum hoc quod patior inde est
velut mica de mensa tua, Auge, si lubet,
dolorem, sed auge & patientiam.

XV. Compassionis æstu aliquan-
do succensus petebat à Christo co-
piam lingendi plagas ejus, sicut canes
lingunt ulcera, Lazari derelicti: tum
verò quasi acceptâ potestate id agebat

re-

reverenter, immorans singulis vulneribus, & longum bibens amorem, subgebat mel de petra, oleumque de saxo durissimo.

XVI. Amatoria, quæ sacri amantes usurpant inter se, exercebat ipse cum Crucifixo: etiam scribebat ad eum literas, deferens illas ad ejus pedes, & quidem æger scribebat idem quod sorores Lazari: *Ecce quem amas, infirmatur*. Interdum animum cum eo velut cum amico relaxabat, sermones miscendo; aperiebat illi totum pectus, si quid ei negotium faceretur, si quo consilio indigeret, offerebat munuscula in actionem gratiarum, si quid feliciter gessisset.

XVII. Spineæ coronæ loco aliam ei de floribus texebat quotidie in hunc modum. Intentus ei in gratiam Crucifixi occasionibus mortificandi sensus corporis, & animi facultates: ferotino autem examine conscientie colligebat victorias sui, & in coronam

nam compositas offerebat Christo patienti, rogans ut positâ spineâ illam capiti imponeret. Quòd si nullam de se victoriam reportârat, pudore suffusus pœnitentiam exposcebat à Crucifixo, ut ei dicere liceret: *Christo confixus sum cruci.*

XVIII. Memor quibusdam Sanctis obversatum semper fuisse JESUM Crucifixum, ut in eis impleretur etiam illud Moyſis: *Erit vitatua pendens ante oculos tuos die ac nocte*, nitebatur eum in omnibus faciendis tolerandisve habere præsentem, uniendo quicquid ageret, patereturve similibus Crucifixi factis aut toleratis. Quin & ipse sibi formam moriendi Christi morti conformem condiderat.

XIX. In animum induxerat suafore Deo, ac vocante ad amorem Crucifixi, eductum se de sæculi ne-
more velut lignum scabrum ac distortum. idque in imaginem Crucifixi per Christiformitatem configurandum,

dum, itaque sistebat se Domino tanquam stipitem informem, dicebatque: *Tunde Domine IESU, tunde; noli parcere, imaginem veteris Adae destrue, tuamq; restitue.*

XX. Domi forisq; crucem si habebat obviam, colligebat sese, adorabat Crucifixum, & in manus ejus spiritum suum commendabat, ut eum Patri restituens adjungeret sibi per eum amorem, qui spiritum ipsius à corpore abjunxerat. Haftenus Anonymus, cujus nomen dignum scribi in libro vitæ.

§. 3.

CÆterum quia effigies Crucifixi nulla verior est, aut illustrior, quam sacrosancta Eucharistia, Christum in ea residentem licet invisibilem, Christiformis velut visibilem colat, praxesque suprâ relatas quoad potest, ad eum accommodatè transferat. Qui præsentem & habitantem in nobis IESUM, quem videt, eumque
sui-

suimet Crucifixi memoriam non colit ac diligit unicè, quomodo quem non videt sedentem à dextris Dei venerabitur aut diliget? Accedat ergo ad eum frequenter sive communicando, sive sacrum audiendo, faciendove, nec spiritualem saltem ullo die communionem omittet, sive visitando in templo, sin reipsâ, quia fortè loci, vel temporis opportunitas deest, at certè cogitatione & affectu: in quo affectu summa totius devotionis posita est: si enim ardens eris, suggeret ipse, ut est ingeniosus amor, industrias & praxes, quibus hospitii tanto adornetur mens, nec patietur inquam nauseam quasi super cibo levissimo; sed novam semper esuriem ac sitim ciebit, adigetque ad crebras visitationes. Spectabit eum sub multiplici forma: ut Regem, judicem, fratrem, medicum, pastorem, Redemptorem, sponsum, &c. visitabit ut Christus ipse visitavit nos oriens

ex

450 CHRISTIFORMITAS,
ex alto. Ac Matrem quidem visita-
vit humanitate assumptâ, inde Joan-
nem sanctificans, post Bethleëmiti-
cum præsepe nascens, hinc templum
præsentatus, mox Ægyptum profu-
gus, Inde Nazareth subditus paren-
tibus. Quot prædicans visitavit infir-
mos & peccatores medicus? quot
patiens obiit stationes? etiam mor-
tuus visitavit inferos consolator, ac
liberator, &c. Sic visitantis Christi
affectus inspiciet, ac visitati induet, si-
ne tædio & maximo cum fructu visi-
tationes hujusmodi sacras frequenta-
bit.

C A P U T IV.

*Præxes & industria ad vitam & mores
Christiformes.*

CUM præcipuæ partes Christifor-
mitatis in imitando, operando-
que consistant, erunt ad hoc referen-
dæ præxes hæcenus recensitæ, quibus
velut remotis si propiores, quas sub-
jun-